



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 38. Quæstio, an Papa in Spem obtenendæ dispensationis Henrico aliam
Conjugem ducere suaserit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæcul. XVI., Cardinalem, quemcunque feligere
A. C. 1528., Angliæ Regi placuerit. ,,

§. XXXVIII.

Quæstio, an Papa in spem obtinendæ dispensationis Henrico aliam conjugem ducere suaserit?

Ita equidem Burnetus(*) Papam loquentem introducit, verum hunc sermonem sine ullo fundamento mere confictum esse patet; quam enim ob rationem Henricus his Papæ monitis in rem suam haud utebatur, cum tamen usque adeo propensum ad ejusmodi consilia suæ causæ tantopere propitia gereret animum, ut etiam per Batoniensem Episcopum, qui ejus nomine apud Franciæ Regem Legatum agebat, interrogaret, an sine animæ suæ nocumento dubium de suo matrimonio movere posset? Referunt etiam Historicorum nonnulli, quod Rex consilium sibi a Casalio propositum in tendiculæ sibi a Papa structæ numero locoque duxerit, ac ferio

(*) Supple, natione scotus, & secta Hæreticus, qui pro more suæ gentis totus in eo erat, ut propudiosum Henrici VIII. divortium honestet, totamque culpam in ipsius Papæ consensum rejiciat, cujus tamen rei falsitas ex ipsius auctoribus coævis manifeste patet.

rio secum perpenderit, absque fori stre- Sæcul. XVI.
 pitu ejusmodi caussam nullo pacto diju- A.C. 1528.
 dicandam, eoquod ipsius etiam Regi-
 næ rationes excipere omnino necessa-
 rium esset, atque sententia, antequam
 Regina audiretur, & se defendere pos-
 set, neutiquam valeret. Præterea si
 Rex hoc consilium fuisset secutus, tunc se
 se penitus Papæ arbitrio reliquisset, qui,
 ut censent Juris Pontificii Doctores, non
 minus Legati sententiam, quam connu-
 bium vi hujus contractum confirmare,
 omnino recusare potuisset. Verum ad-
 huc graviora occurrunt argumenta, quæ
 prætensum hoc Papæ consilium a Ca-
 salio propositum nulla veritatis similitu-
 dine firmari demonstrant; quippe unus
 alterque cursor e vestigio sequebatur,
 & singulis ferme diebus hac super re
 nova excogitabantur consilia, vixque
 in unam sententiam abire Patres, cum
 illico, quæ paulo ante decernebantur,
 revocata fuerunt. Staphyleus, qui Ro-
 manæ Rotæ Auditorum Decanus erat,
 eodemque tempore in Anglia agebat,
 divortii caussam cognoscere jubetur,
 mox tamen Urbevetum, ubi Papa mo-
 rabatur, proficisci præcipitur, idem-
 que præter mandata publica secretis
 etiam consiliis ad rem idoneis instruitur.
 Paulo post Casalio datur negotium, ut
 a Pontifice alium Legatum, doctrina;
 G g 2 morum-

Sæcul. XVI
A.C. 1528

morumque facilitate præclarum, atque a proprii quæstus cupiditate alienum Volfæo Cardinali adjungi peteret (*).

§. XXXIX.

*Staphileyus, Gardinerus, & Fuxius
hac in caussa Romam ablegati.*

Vix Staphileyus Urbevetum contendere parabat, cum illico eum Regis jussu Stephanus Gardinerus Doctor, quem Volfæus ab Epistolis habebat, necnon Eduardus Fuxius supremus Regis Sacellanus sequerentur. Ambo se Staphyleo adjungere, ac importunis etiam precibus, minisque Papam urgere jubentur, ut ea, quæ Rex petebat, concedi impetrarent. Tribus hisce Oratoribus diversa prorsus erat indoles; quippe Staphileyus in Romanæ Curia negotiis jam dudum senescebat, ac ceteroquin Vir erat suspiciosus, asper, ac ingenii parum docilis, aliunde vero Henrico Regi plurimum addictus, summopere autem Carolo Cæsari infensus: Gar-

(*) Hanc in rem consulendus est Pallavicinus, qui in libro 2. cap. 15. n. 17. suæ Hist. Conc. Trident. egregie confutat commentum eorum, qui a Papa ejusmodi diploma fuisse concessum fingunt.